

funt lites a *Guilelmo de S. Amore* et aliis motae contra Mendicantium Familias.

III. fol. 215. p. 2. Tractatus de *Indulgentiis* sine nomine Auctoris. Incipit: *Quodcunque ligaueritis super terram &c. M^r. 16. duos fines ultimos futuros esse in fine seculi &c. Finit: et pluit super iustos et iniustos. Explicit optimus sermo siue tractatus de indulgentijs. Ejusmodi Tractatum Francisci de Mayronis apud se fuisse testatur Luc. Waddingus in *Bibl. O. M.**

IV. fol. 221. Rogerii Conovii five Conway O. M. Cambri, de quo ad *Cod. seq.* sermo, Tractatus de *Confessionibus per Regulares audiendis* contra informationes *Rich. Armachani*. Incipit absque titulo: *Confessio et pulchritudo in conspectu eius &c.* et finit: *precludendo aditum sibi et alijs talia perpetrandi. Explicit tractatus Coravij (l. Conovii) ordinis fratrum.* De editionibus hujus Tractatus vide *Cod. supracit.*

V. fol. 249. Ejusdem, licet nomen taceatur, *Quaestiones III. de Mendicitate Christi et dominio temporali.* Incipiunt: *Questio est hic de mendicitate. Et primo queritur de paupertate quantum ad renunciacionem &c.* Desinunt: *hys cauenda est, qui se perfectioni ewangelice astrinxerunt.* Msptae fuerunt apud *Waddingum* et *Whartonum*, nataeque videntur ex *Concionibus* de hac Materia a *Rogero Londini* habitis, de quibus ex aliis *Thomas Tannerus* *Bibl. Brit. Hibern.* p. 197.

VI. fol. 269. p. 2. *Galfridi Herdeby* five *Hardebii* O. Erem. S. Aug. Angli ✠ 1360. *Liber de Vita evangelica.* Prooemium hoc initio: *Uenerabili in christo patri fratri Bartholomeo (Veneto) priori generali ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini. dignissimo sacre pagine professori suus inutilis frater et ineptus filius frater galfridus Herdeby eiusdem ordinis sacre Theologie magister indignus &c.* Ait contineri in hoc libro ea, que tempore sui regiminis in *Oxonia* alternatim arguens et respondens contra doctores alios replicavit, nuncupandumque propter materiam in eo principaliter contentam de *evangelica Vita.* Sequitur *Summarium Capitum XIX.* prorsus ad mentem praecedentis Rogerii contra *Armachanum.* C. ult. inquiritur: *Si beatus augustinus pater eiusdem (Eremitarum) ordinis fuerit atque frater, 2^{do}. si per eundem augustinum ordo canonicorum regularium fuerit institutus.* Quo praeluisse videtur *Galfridus* tricis illis, quae *Mediolani* 1477. inter utrumque ordinem exarsere, de quibus *Saxius* in *Hist. Typ. lit. Mediol. col.* 183. *Tiraboschius* *Stor. lett. d'Italia* T. VI. P. 1. L. 2. p. 221. et *Ossingerus* *Bibl. Aug.* p. 261. meminere. Opus ipsum sic incipit: *Circa materiam primi articuli sic argumentor: Omnes homines huius mundi sunt eiusdem speciei &c.* Sed in medio C. IX. *Codex* noster obmutescit. De auctore vide *Tanneri* *Bibl. Brit. Hib.*

2073

P O L E M I C I.

2074

Hib. p. 377. et Offingeri Bibl. August. p. 426.

VII. fol. 295. *Collationes variae sive Quaestiones Magistrales ex Libris Sententiarum tempore Nicolai de Dünkelspühl et Michaelis Suchenschatz, quorum nomina interveniunt, id est, sub initium Sec. XV. in Academia nostrate ventilatae, quarum initium est: Caput tuum ut Carmelus can. 7. reuerendi patres domini et magistri dilectissimi &c.*

VIII. fol. 360. Anonymi Sermo ad Academicos de S. Johanne Evangelista in illud Eccl. 15. *In medio ecclesiae aperuit os ejus. Initium: Originaliter et transsumptive in officio hodierno, Reuerendi &c. secundum iohannem crisostomum augustinum et gregorium &c.*

DXLVII.

117 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per 2. Columnas calamo currente exaratus continet *Richardi Radulphi fil. (Fitz-Ralph f. Rauf) Hiberni Dundalkensis ex Academiae Oxon. Commissario, Archidiacono Cestrensi et Decano Litchfeldensis Ecclesiae Archiepiscopi Armachani ac Patriae Primatis Avenione ad Curiam Romanam, quo a Fratribus Mendicantibus citatus fuerat, 1360. defuncti Libros VII. de Paupertate Salvatoris seu de Mendicitate Fratrum, ut alii Codices in Anglia praeferunt, qui etiam Librum octavum, quin et nonum memo-*

rant, non tamen Libellos 16. ut per errorem typi in Tb. Tanneri Biblioth. Brit. et Hib. p. 284. irrepsisse videtur. Praeit nuncupatoria Epistola hoc initio: Sanctissimo in christo patri ac domino, domino nostro Innocentio VI. diuina prouidentia sacrosancte romane ac vniuersalis ecclesie summo pontifici, sue sanctitatis humilis creatura Ricardus archiepiscopus armachanus primas Hybernie, pedum oscula beatorum. Dudum fel. rec. dominus clemens papa VI. sui regiminis Anno octauo (1349) venerabilibus duobus in Theologia doctis doctoribus ac mihi pusillo negocium quoddam inter duos precipuos mendicantium ordines, cum omni possibili diligentia annis plurimis laceratum &c. Sequitur Conspectus Operis διαλογικως inter Joannem et Ricardum conscripti, quem, cum ineditum sit, hic repraesentamus. Primus liber habens XXXIIII capitula tractat de diuino atque angelico dominio ac possessione rerum et usu ipsarum ab eis. Secundus liber tractat de humano originali dominio ipsum describens, ac partem descriptionis ipsius declarans. Tercius liber possessionem distinguit multiplicem qualem habuit primus parens noster ostendens descriptionem originalis dominij quo ad eius usum et alias circumstantias declarando. Quartus liber de proprietate et iure utendi ac de positioe siue ciuili dominio et eius possessione et usu ac iure utendi pertractat. Quintus liber de principiis ditantibus deum angelos bo-